

distinctus et optime servatus complectitur *Machabaeorum Librum I et II.* ex Interpretatione vulgata. *Librum I.* anteit Elenchus *Capitum* hac inscriptione miniata: ✠ *Incipiunt Capitula Libri Machabeorum.* Horum censentur LXI. hoc initio: *I. Ubi eversa hierusalem consenserunt iudaei edicto regis sacrificare idolis. II. Ubi lex dei exusta est iussu regis antiochi populo sacrificante idolis &c.* Atque haec 4. infumunt folia. Dein: *Incipit Liber Primus Machabeorum.* Decurrit hic absque notabili discrepantia ab Impressis hodiernis, habetque notata in margine non tantum LXI. illa Capitula seu *Lectiones*, sed etiam a manu paullo recentiore XVI. modernae distributionis Capita. Ad calcem litera quadr. ut in omnibus Titulis, legitur: *Explicit Machabeorum Lib. Primus*, et continuo: *Incip. Capitula Libri Secundi.* Sunt haec numero LV. et hoc initio. *I. Vbi occisus est antyochus rex in templo nanea* (a) *sacerdotibus cum his qui secum erant. II. De igne sacrificii qui fuit absconditus in puteo &c.* Occupant paullo plus quam 2. folia, et mox: *Incipit Liber. Secundus. Machabeorum.* Eadem ratione, qua prior, nisi quod Capita distributionis modernae in margine non notentur. Speciminis ergo adscribam finem C. XII. qui fol. 96. p. 1. habetur: *et facta conlatione! XII milia. dragmas argenti. misit hierusolimam. offerri pro peccato sacrificium. bene et religiose de resurrectione cogitans. oratione*

et oblatione pro defunctis; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret. superfluum uideretur. et uanum orare pro mortuis! et quia considerabat quod hii qui cum pietate dormitionem acceperant. optimam haberent repositam gratiam; sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare! ut a peccato soluerentur; In calce adiectum: *Explicit Liber Machabeorum. Deo Gratias.* Nullus ambigo, Libros hos olim ad integra Biblia pertinuisse, quae iactura sane dolenda intercidere.

XLIX. IX. H. 6.

Codex membraneus lat. Sec. 776  
XIV. Folior. nunc 101. 8. minute sed eleganter per duas columnas exaratus, et quondam *Alamanni Corraducii* Nepotis, ut videtur Viri docti *Rudolphi Corraducii* J. U. D. et sub *Rudolpho* II. Vicecancellarii Imperii, de cuius relicta Bibliotheca egit *Lambecius* noster *Comment. L. I. p. 65.* edit. *Kollar. col. 136.* continet *Novum Testamentum*, cui primo avulsum est initium usque ad verba *Matth. C. II. v. 20. vade in terram Israel;* dein pars Evangelii *Lucae* a *C. X. v. 19* verbis: *et super omnem virtutem inimici*, cum toto *Jobanne*, *Epistola Pauli ad Rom.* et initio *I. ad Cor.* usque ad verba *C. IX. v. 2. tamen vobis sum, nam signaculum apostolatus mei &c.* Libris singulis praefixa sunt nota Argumenta. *Actus Apostolorum Epistolis Paulinis* postponuntur. *Job. I. c. 5.* adest quidem utrumque

que testimonium, sed hae voces: *bij tres unum sunt, et tres sunt qui*, manifeste secundam manum produnt. Nec repetitur post terrestre testimonium: *Et hi tres unum sunt*. Ad calcem notus Index: *Hic incipiunt interpretationes nominum hebraicorum*.

L. VI. E. 25.

313 Codex membraneus lat. Sec. IX. Foliorum 224. f. luculente exaratus, rubricis distinctus, et bonae notae complectitur *Quatuor Evangelia*. Initium ducitur ab Epistola Hieronymi ad Damasum. *Nouum opus me facere cogis ex uetere &c.* Sequitur Prologulus *Quattuor Euangeliorum*, id est, Hieronymi ad Eusebium, qui orditur: *Plures fuisse qui euangelia scribserunt &c.* ut in *Bibliis glossatis*. Subjungitur absque titulo: *Eusebius carpiano fratri in domino salutem*. Est nota illa de *Evangeliorum Canonibus* Epistola, cujus initium: *Ammonius quidem Alexandrinus magno studio atque industria unum nobis pro quattuor euangelis dereliquit &c.* Itaque et illam *Canones* hi eleganter picturati excipiunt.

*Matthaei Evangelium* praeter Picturam ejus linearem, antecedit, ut in *Bibl. gloss.* Argumentum: *Mattheus ex iudea sicut in ordine primus ponitur &c.* in quo mox sub initium rectius legitur: *duorum principia*, ubi edita habent: *duo principia*. Argumento subjectum est *Breviarium Capitum*. Et sic per reliquos etiam *Evange-*

*listas*, in quorum omnium marginibus diligenter *Canones* Concordiae sunt adnotati. Ad calcem litera cubitali legitur: *Explicit Evan.* et minore: *Valete in Domino semper*. Tum fol. 210. p. 2. variis characterum compendiis: *Incipit Capitulare Evangeliorum de Circulo Anni*. Initium est a *Natali Domini*. Post *Pentecosten* numerantur Dominicae tantum VI. reliquae usque ad *Adventum* numerantur a *Natali Apostolorum*, S. item *Laurentii* et *Cypriani*. Hebdomadae *Adventus* dicuntur *ante Natalem Domini*. Fol. 222. p. 2. *Incipit Lectio Euang. de diuersis Causis*. Hae sunt: *Pro Ubertate pluuiæ*, *Pro sterilitate pluuiæ*, *In commotione gentium*, *In natali papae &c.* abrumpunturque in *Evang. Pro salute unius Uiuu*.

Pertinuit olim praestans hic Codex ad antiquissimum pene totius *Bajoariae* Coenobium *Waltenburgense* sub Tetrarchia *Straubingana* non procul *Kelhemio* ad dextram *Danubii* ripam situm Ord. S. *Benedicti*, ut patet ex iis, quae folers quidam et membranae parcus Coenobita spatiis hinc inde vacuis adnotavit. Et quidem fol. I. p. I. *Traditiones* IV. videlicet I. *In Nomine domini Tradidit quidam vir N. Baltker sua propria mancipia nuncupati Liupbitto et filium eius — prebtan ad sanctum dei martirem georium in manum Hauuardi et clericorum Ea ratione ut per singulos annos redderent ad aram sancti Georii martyris. V. nummos. et posteri eius. et isti sunt T. (estes) per aures tracti.*